This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lh
9
511

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Sh 9.511

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

JAHRES-BERICHT

des kais. kön.

Ober-Gymnasiums zu den Schotten

in Wien,

am Schlusse des Schuljahres 1887

veröffentlicht

von dem Director desselben.

Inhalt

1. Utrum in satiris an in epistulis Horatii sententiae inveniantur crebriores, disputavit H. Mascheck.

2. Schulnachrichten.

WIEN 1887.

Verlag des k. k. Ober-Gymnasiums zu den Schotten.

Druck von Ch. Reisser & M. Werthner.

Sing.511

Constantine Fund

L.

Das nächste Schuljahr beginnt am 16. September.

Die Anmeldungen der Schüler werden am 15. und 16. September, die Nachtrags-, Wiederholungs- und Aufnahmsprüfungen am 16. September vorgenommen werden.

Das h. Geistamt wird in feierlicher Weise den 17. September um 9 Uhr abgehalten werden. Nach demselben werden entsprechende Exhorten und die Veröffentlichung der Disciplinarvorschriften stattfinden, wobei sämmtliche Schüler des Gymnasiums sich einzufinden haben.

Dr. Sigismund Gschwandner,
Director.

UTRUM IN SATIRIS AN IN EPISTULIS HORATII SENTENTIAE INVENIANTUR CREBRIORES

DISPUTAVIT

H. MASCHECK.

Facturusne operae pretium essem, ut T. Livii verbis utar, de Venusino poeta si scripsissem, nec satis sciebam, nec, si scivissem, dicere ausus essem, quippe qui, quot et quam docti viri pluribus vel libellis vel plenis voluminibus cum summatim de Horatii vita, ingenio, moribus, poesi tum de singulorum poematum indole singillatim disseruissent, non ignorarem. Sed quoniam animum induxeram disputare, utrum in satiris an in epistulis Horatii sententiae invenirentur crebriores, me facere non posse arbitratus sum, quin, si via et ratione disputare vellem, subtilius explorarem, quibus de causis in alterutro poematum genere sententiae invenirentur crebriores.

An quisquam satius fuisse putat, singularum ex satiris epistulisque excerptarum sententiarum ratione confecta directe pronuntiare, in utro genere plus sententiarum inesset?

Quam rationem ut satis expeditam neque adeo operosam esse existimavi, ita, ne eam inirem, multis impeditus sum causis, quas afferre longum est. Me autem disputantem de natura satirarum epistularumque et quaerentem, quomodo in iis conscribendis versatus esset Horatius, ut, quare in alterutro poematum genere sententiae legerentur crebriores, facilius intelligeretur, ex iis, quae multi et docti viri commentati erant, quidquid aptum mihi esse videretur, in meam rem convertisse, vix quemquam mirari aut improbare crediderim; utrum vero certius quid aut novum a me allatum sit necne, alii iudicabunt. Ut autem est:

Vive, vale! Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

(Ep. I. 6. 67 sq.)

Quod Lucilius fecerat, qui velut fidis arcana sodalibus olim credebat libris, neque, si male cesserat, usquam decurrens alio, neque si bene,[1]) id se item fecisse fatetur Q. Horatius Flaccus. Quae secum compressis agitaverat labris, ubi quid datum erat otii, illudens chartis[2]) conscribebat; quidquid in moribus, in litterarum studio civium dignum, quod notaretur, deprehenderat, summa festivitate et lepore ridebat.

Horatius cum a patre optimo iam puer severa disciplina in eam consuetudinem adductus esset, ut, quidquid bonum, verum, pulchrum esset, adamaret sectaretur-que, vitia vero, quaecumque deprehendisset, notaret et fugeret:[3]) haud sane equidem existimem esse quod miremur, eum mansisse sanum ab vitiis, quaecumque perniciem ferrent, non vero liberum a mediocribus et quibus ignosceretur vitiis.[4])

Quod si forte quis nostrae aetatis hominum leve esse putaverit suspendens omnia naso, eum admonitum esse velim, ut perpendat, quantis vitiis, sceleribus, flagitiis obruti fuerint cives Romani aetate Horatii. Verecundia deorum et legum interierat, fides integritasque habebatur ludibrio, periuria in consuetudinem abierant, nulla erat religio matrimoniorum, nulla cura liberorum.

Quae cum ita essent, fieri non potuit, quin poeta, quae erat eius innata disciplinaque patris exculta honestas, effervesceret stomacho iracundiaque, id quod satis apparere mihi videtur ex nonnullis epodis[5]) et compluribus carminibus.[6]) Neque ingenium acre defuit Horatio, neque animus, quo Lucilii poetae vestigiis ingressus auderet

detrahere pellem, nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum lupus;[7])

---

[1]) Sat. II. 1. 30 sqq. — [2]) Sat. I. 4. 137 sqq. — [3]) Sat. I. 4. 106. — [4]) Sat. I. 4. 129 sqq. — [5]) Epod. 7., 16. — [6]) Carm. I. 2., 35. Carm. III. 1.—6., 24. — [7]) Sat. II. 1. 64 sq.

vel comoediae priscae virorum exempla sequi, qui,

si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
famosus, multa cum libertate notabant.[8])

Sed cum exploratum haberet ille, fore ut, qui vitiis contaminati essent, opprobriis et maledictis si exagitati essent, non emendarentur, sed exacerbarentur: eam rationem statuit esse ineundam, qua, quam stulte facerent, docti ad sanitatem redirent. Neque inepte eum fecisse existimandum est. Persuasum enim ei erat, vitia, quibus cives laborarent, non ex pravitate orta esse perversitateque animi, sed potius ex errore quodam et caecitate mentis esse repetenda. Quamobrem ita egit, ut ridentem dicere verum[9]) praestare arbitratus vitia et flagitia potius aculeis pungeret, quam in homines, qui iis laborarent, ira incensus inveheretur. Quamquam Hermogenem Tigellium, Cupiennium, Sallustium, Nasidienum, alios sive veris sive fictis nominibus arreptos carpit eluditque, tamen mox transit ad vitia contemplanda in iisque cum facetiis plus minusve acribus castigandis totus est. Animus sua sorte non contentus, libidines insanae, protervitas in iudicando, invidia ambitioque, superstitio, iracundia, importunitas, obtrectatio, cuppedia, praecepta philosophorum vesana, testamenta captandi mos turpissimus, virtutis studium falsum putidumque, alia vitia, quibus Romanos illo tempore deditos fuisse inter omnes constat, acerbioribus facetiis perstringuntur. Quod scriptum legimus:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum,[10])

id planius explicat, cum scribit:

Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum,[11])

atque, quidquid huic virtuti repugnare vidit, notat et cavillatur. Idque eo consilio facit, ut homines caveant vitia, quibus efficiatur,

ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat et exacto contentus tempore vita
Cedat uti conviva satur,[12])

eamque teneant mediocritatem, quae sit inter nimium et parum. Vitia igitur, quippe quae, quominus homines fortunate beateque vivant, impediant, irridet iisque laborantes,

[8]) Sat. I. 4. 3 sqq. — [9]) Sat. I. 1. 24. — [10]) Sat. I. 1. 106 sq. — [11]) Ep. I. 18. 9. — [12]) Sat. I. 1. 117 sqq.

quam stulte agant, docens, ut resipiscere audeant, cohortatur, confidentes vero, se nihil conscire sibi, nulla pallescere culpa,[13]) ne desipiant, deterret.

Ab hoc argumento, quod in satiris conscribendis pertractat Horatius, discrepat aliquantum argumentum epistularum eius. Epistularum enim poeticarum argumenti tanta fere varietas est, quanta epistularum vulgarium. Pendet autem illud non minus ex ingenio, condicione, statu rerum non solum eorum, a quibus scribuntur, sed etiam eorum, quibus mittuntur epistulae, quam ex necessitudine, quae inter eos intercedit. Rem ita esse quam maxime apparet ex Ep. I. 7., qua Maecenati se excusat, quod tam diu ruri vixerit simulque sibi potestatem abeundi quo velit multa cum libertate deposcit, et ex Ep. I. 9., qua Tiberio Neroni Septimium amicum suum commendat, et ex Ep. I. 12., qua Pompeium Grosphum Iccio amico commendatum esse vult.

Quamquam vero in epistulis eorum, quibuscum commercium epistularum habetur, ingenii, condicionis, status rerum quam maxime, uti res ipsa postulat, ratio habeatur necesse est, tamen salva peculiari epistularum forma res, quae ad aliorum quoque hominum utilitatem pertineant, pertractari posse nemo est qui neget. Unde intelligitur, Horatium, quidquid senserit de vitae ratione recte sapienterque ineunda et de artium litterarumque studio recte iudicando, in omnibus fere epistulis non solum eos, quibus epistulae destinatae sint, sed etiam alios docere, eumque quodam modo delectatione duci praecepta morum gravissima et iudicia de artibus litterisque acutissima cum iis communicandi.

Neque solum argumento, sed etiam dicendi genere et orationis colore differre satiras ab epistulis haud difficile est docere. Quamquam Horatius profitetur, se pedibus delectari claudere verba Lucilii ritu[14]) atque uti illum fidis arcana sodalibus credere libris,[15]) et si quid secum compressis labris agitaverit, ubi quid datum sit otii, se illudere chartis[16]) affirmat, stiloque se quemquam animantem petiturum esse[17]) negat, nisi lacessitum: tamen non pauci fuisse videntur, qui eius verbis iure diffiderent quibusque nimis acer in satira videretur.[18] Quod enim, cum certos quosdam homunciones arripuerat, in iis exagitandis non acquiescebat, sed iis quasi formis utebatur vitiorum, quae notaret, fieri non potuit, quin, quicunque neque integri vitae, nec sceleris puri[19]) sibi esse viderentur, metu afficerentur, ne

[13]) Ep. I. 1. 61. — [14]) Sat. II. 1. 28 sq. — [15]) Sat. II. 1. 30 sq. — [16]) Sat. I. 4. 138. sq. — [17]) Sat. II. 1. 39 sq. — [18]) Sat. II. 1. 1. — [19]) Carm. I. 22. 1.

ipsi quoque tristi laederentur versu.[20]) Nec defuisse existimem, quibus Lucilii illius acrimonia, qui

primores populi arripuit populumque tributim,
Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis[21]),

minus terrori esset quam irrisiones Horatii. Quamquam se a Damasippo Stoico in male sanis numerari[22]) et a Davo servo gravi verborum contumelia peti[23]) passus est et ipse se uti unum de multis, qui desiperent, subridens carpsit, tamen tantum afuit, ut efficeret, ne lividus et mordax videretur[24]) aliis, ut, quippe qui laedere gauderet[25]) nec cuiquam parsurus esset amico, dummodo risum excuteret sibi,[26]) niger esse videretur, quem omnes cavere[27]) deberent. Neque sine causa timebatur. Quotusquisque enim hominum est ita moratus, ut non timeat ab homine, a vitiis, quaecumque perniciem ferant, se sanum esse dictitante, mediocribus vero et quibus ignosci possit, se teneri[28]) concedente eodemque iam iamque ingenii acumine ad abutendum paratissimo?

Attamen quamvis Horatius acerbis facetiis, quidquid reprehensione dignum deprehendisset, perstringeret, tamen eius dicendi genus multum abhorrebat ab iracundia illa, qua Persius notabat, et ab animi ardore illo concitato, quo Iuvenalis insectabatur flagitia. Non ignorabat depravatos hominum suae aetatis mores atque, quo erat animi candore et amore patriae, de iis se laborare non dissimulabat; sed cum sibi persuasisset, non tantam pravitatem morum temptasse hominum suae aetatis animos, quantam Persii et Iuvenalis temporibus fuisse fide dignissimorum virorum comprobatum est, ut corrigi posse eam desperaret, aliam rationem ineundam esse existimabat atque illi iniissent. Neque eum, uti supra diximus, fugiebat, vitia suae aetatis non tam ex animi pravitate quam infirmitate repetenda esse. Itaque ut inanibus importunisque querelis non obtundebat aures civium, ita neque illorum virorum more, qui flagitia acerrime oppugnabant, iracundia effervescebat, neque pariter atque Stoici in contemptione omnium rerum humanarum salutem omnium positam esse docebat, sed, quantam infamiam politiori humanitati, in qua ipse libenter acquiescebat, inhoneste vivendo inferrent quantaque stultitia vitae iucunditati repugnarent, eos admonens carpebat, ridebat, pudore afficiebat.

Longe aliter atque in satiris agit in epistulis Horatius. In satiris carpit et ridet, in epistulis docet et commovet.

---

[20]) Sat. II. 1. 21. — [21]) Sat. II. 1. 69 sq. — [22]) Sat. II 3. — [23]) Sat. II. 7. — [24]) Sat. I. 4. 93. — [25]) Sat. I. 4. 78. — [26]) Sat. I. 4. 34 sq. — [27]) Sat. I. 4. 85. — [28]) Sat. I. 4. 129 sqq.

in illis exstirpat vitia, in his inserit virtutem, in illis dicax est et mordax, in his se comem morum magistrum praebet. In satiris homines de media turba arreptos etiam tum viventes cum risu fodicat, in epistulis frustra quemquam quaeras, qui nominatim et aperte obiurgetur. Ne longe absum, ut in epistulis nihil omnino cavillationis, nihil irrisionis inveniri contendam, sed sale illo nigro, quo multo in satiris defricat poeta male sanos, eum in epistulis admodum parce uti vix quemquam negare existimem. In epistulis quasi in litoris securitate collocatus fructum et utilitatem capit ex vita patris severitate et diligentia ad honestatem conformata et ad rationis normam directa. Quid verum atque decens sit, curat et rogat et omnis in hoc est; condit et componit, quae mox depromere possit;[29]) nunc agilis fit et mersatur civilibus undis, virtutis verae custos rigidusque satelles; nunc in Aristippi furtim praecepta relabitur;[30]) tarda fluunt ei ingrataque tempora, quae spem consiliumque morantur agendi naviter id, quod aeque pauperibus prodest, locupletibusque aeque, aeque neglectum pueris senibusque nocebit;[31]) sapientem uno minorem esse Iove ait, divitem, liberum, honoratum, pulchrum, regem denique regum.[32]) Quid commemorem saluberrima consilia, quibus ex philosophiae studio petitis Lollium Maximum iuvenem benigne iuvat, ut, quam primum fieri possit, se melioribus, i. e. sapientioribus offerat,[33]) et Iulium Florum, ut frigidis curarum fomentis relictis eat, quo eum caelestis sapientia ducat,[34]) et Albium Tibullum, ut inter spem curamque, timores inter et iras[35]) vitam tranquille agat? Quae Lollio Maximo, quem supra commemoravimus, alio tempore scripsit:

Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum,
Num te semper inops agitet vexatque cupido,
Num pavor et rerum mediocriter utilium spes,
Virtutem doctrina paret naturane donet,
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid pure tranqillet, honos an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitae,[36])

ea in omnibus epistulis, ut diligentissime perpendantur, instat et urget atque unicuique est auctor, ut sapiat abiectis nugis et verae numerosque modosque edi-

---

[29]) Ep. I. 1. 11 sq. — [30]) Ep. I. 1. 16 sqq. — [31]) Ep. I. 1. 23 sqq. — [32]) Ep. I. 1. 106. sq. — [33]) Ep. I. 2. 68. — [34]) Ep. I. 3. 26 sq. — [35]) Ep. I. 4. 12. — [36]) Ep. I. 18. 96 sqq.

scere vitae[37]) studeat, neve recte vivendi proroget horam.[38])

Neque tamen, cum ea suadet, severi morum magistri partes agit Horatius, sed miscendi utile dulci[39]) peritissimus pariter delenit movetque animos; atque tanta morum gravitas comitate condita iudiciique maturitas, tantumque studium veri reperiendi et honesti sequendi animique tranquillitas cernitur, ut non iniuria Franciscus Petrarcha dictitasse videatur, se ex nullo poeta latino evasisse meliorem quam ex Horatio.

Argumento huic, quod pertractatur in epistulis, atque animo eius, a quo scriptae sunt, omnino consentaneum est dicendi genus. Est autem in epistulis oratio aliquanto tersior et limatior, aequabilior et constantior, conformatio enuntiationum minus soluta et abrupta quam in satiris, in quibus praecipue brevitati studet, cum ea virtute vel maxime satirarum scriptorem se commendari sibi persuaserit; dicit enim:

Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures;[40])

praeterea translationum et fabularum et sententiarum et aliarum rerum, quibus ornari solet oratio, multo maior exquisitiorque copia est in epistulis quam in satiris; neque hoc silentio praetereundum esse puto, in epistulis multo accuratius artificiosiusque versus esse scriptos quam in satiris. Versus, quibus satiras conscripserit, ab aequalibus suis improbatos esse salse conqueritur Horatius ipse Trebatiumque, iuris consultum virum, quid sibi, ut invidiam evitet, faciendum sit consulit, cum dicit:

Sunt, quibus in satira videor nimis acer et ultra
Legem tendere opus; sine nervis altera, quidquid
Composui, pars esse putat similesque meorum
Mille die versus deduci posse.[41])
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.[42])

Quidnam vero causae fuisse putemus, quod poeta Venusinus, Romanae fidicen lyrae,[43]) non ante vul-

[37]) Ep. II. 2. 141 sqq. — [38]) Ep. I. 2. 41. — [39]) A. p. 343. — [40]) Sat. I. 10. 9 sq. — [41]) Sat. II. 1. 1 sqq. — [42]) Sat. I. 4. 39 sqq. — [43]) Carm. IV. 3. 23.

gatas per artes verba locutus socianda chordis[44]), qui, quod princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisset modos[45]) et Parios primum iambos ostendisset Latio, numeros animosque secutus Archilochi,[46]) magnam gloriam consecutus esse sibi videbatur neque desperabat, non omnem se esse moriturum multamque partem sui vitaturam esse Libitinam,[47]) in satiris tantam licentiam sibi sumeret in versibus heroicis construendis, ut versus, qui multis viderentur male tornati esse, non redderet incudi? Quo iure tam vehementer invectus est in Lucilium, quod incomposito pede curreret[48]) et durus esset componere versus?[49]) Nonne ipse veniam i. e. licentiam datam poetis Romanis indignam esse[50]) iudicavit atque quaestione sibi posita, natura fieret laudabile carmen an arte, nonne pronuntiavit, se omnino non videre, quid studium sine divite vena, quid rude ingenium posset, sed unam rem alterius poscere opem utramque amice coniurare[51]) debere?

Cuius rei causa ne repetatur ex iuvenili aetate, obstat, quod in epodis, quos iisdem fere annis quibus sermonum libros scriptos esse argumentis satis certis doctum est, versus hexametri multo artificiosius compositi inveniuntur. Itaque non ingenii artisque vitio neglegentius composuit versus, sed consilio et iudicio. Cum Lucilius omnis penderet a priscae comoediae scriptoribus, eos mutatis tantum pedibus numerisque secutus,[52]) Horatius se scripsisse ait sermoni propiora.[53]) Ut vero versus heroici, quibus Lucilium secutus uti statuerat, argumento magna ex parte novo apti essent et accomodati, omni sollertia eos extenuari necesse erat, ut quam maxime ad naturam orationis prosae hoc poesis genus accederet. Id vero hac potissimum ratione se assequi posse putabat, ut versus, quantum fieri posset, artificio carerent speciemque neglegentiae prae se ferrent. Sectanda igitur erat et orationis et numerorum inaequalitas, ut, quod senorum pedum necessitate nimis adstrictum esse videretur, quodam modo relaxaretur. Ne asperitatis quidem nota erat evitanda, ut irrisionibus maior vis gravitasque adderetur. Quam sollertiam et dexteritatem in ceteris operibus suis, maxime in carminibus praestitit Horatius, ut versuum uteretur genere, quod argumenti, quod pertractaretur, naturae accommodatissimum esset, eam in satiris quoque numerorum inaequalitate simulataque neglegentia ita probavit, ut rem ex instituti, quod ipse sequebatur, peculiari ratione, non ad

---

[44]) Carm. IV. 9. 3 sq. — [45]) Carm. III. 30. 13 sq. — [46]) Ep. I. 19. 23 sq. — [47]) Carm. III. 30. 6 sq. — [48]) Sat. I. 10. 1. — [49]) Sat. I. 4. 8. — [50]) A. p. 264. — [51]) A. p. 408 sqq. — [52]) Sat. I. 4. 6 sq. — [53]) Sat. I. 4 42.

communium praeceptorum normam iudicantibus abunde satisfaciat.

In epistulis vero versus accuratius et artificiosius compositos esse neminem non concessurum esse puto, quem paulo attentius eas inspicere non piguerit. Quod quidem ut faceret Horatius in epistulis longioribus, impellebatur argumenti, quod pertractabatur, amplitudine et virorum dignitate, quibus scribebat; in minoribus vero epistulis ideo, quod tamquam munuscula mittebantur, ne quid ab arte metrica inesset, quod non ad unguem esset castigatum, eum diligentius cavisse putandum est. Si vero quaesiveris, quidnam causae sit, cur satirae et epistulae tantum differant dicendi genere, id cum ex aetate, qua utrumque genus poesis conscripsit, tum ex eius mutatis studiis vivendique rationibus repetes.

Licet admodum difficile sit pro certo dicere, quot annos natus ille singulas satiras epistulasque conscripserit, cum, quae in ipsis scriptis deprehendantur, magnam partem nimis vaga atque incertiora sint, quam ut certi quicquam statui possit, hoc tamen inter omnes constat, epistulas duobus libris sermonum, epodis, tribus libris prioribus carminum iam editis esse conscriptas ab Horatio, cum iam maior esset natus quadraginta annos. Ad quod probandum satis esse existimo, ex uno solo libro I. epistularum nonnullos locos, qui ad aetatem illius spectant, attulisse.

Non eadem est aetas, non mens.[54]) Et
Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
„Solve senescentem mature sanus equum, ne"
„Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat!"[55])

respondet Maecenati amico, qui eum, ut ad versus et cetera ludicra[56]) redeat, cohortatur; eidemque, quem moleste ferre opinatur, quod ipse Romam reverti diutius cunctetur, scribit:

Quodsi me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos,
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et
Inter vina fugam Cinarae maerere protervae.[57])

Alio loco Musam Celso Albinovano salutem dicere iussam appellat:

Si quaeret, quid agam, dic, multa et pulchra minantem
Vivere nec recte, nec suaviter,
quia mente minus validus quam corpore toto
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;

[54]) Ep. I. 1. 4. — [55]) Ep. I. 1. 7 sqq. — [56]) Ep. I. 1. 10. — [57]) Ep. I. 7. 25 sqq.

Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno;
Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam;
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.[58])

Atque aegrotans et ab Antonio Musa medico gelida perlui unda per medium frigus iussus Numonium Vallam interrogat,

quae sit hiems Veliae, quod caelum — Salerni,
Quorum hominum regio et qualis via.[59])

Denique librum suum alloquens Vertumnum Ianumque spectare cupientem iubet percontantibus de aetate sua respondere, se quater undenos implevisse Decembres.[60])

Anni recedentes multa quidem ademerunt[61]) Horatio; sed quod secum ipse colloquens optaverat, ut lenior et melior fieret accedente senecta,[62]) ei contigit. Cum abiectis nugis[63]) et positis ludicris[64]) id solum curaret, quod verum atque decens esset et omnis in hoc esset,[65]) non sane mirum hoc quidem est, quod, cum in satiris usus esset sermone modo tristi, saepe iocoso,[66]) quod ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secaret res,[67]) in epistulis magis eluxit ingenium mite monitoris et humanitas sapientis sibi imperiosi, in se ipso totius; ita teretis et rotundi, ut in eum manca rueret fortuna.[68]) Sed haud sane facile esse crediderim pro certo dicere, ad cuius potissimum philosophiae formulam se contulerit Horatius. Cum ipse breviter exponens, qualis ordo ratioque disciplinae suae fuerit, dicit:

Romae nutriri mihi contigit atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.
Adiecere bonae paulo plus artis Athenae,
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum
Atque inter silvas Academi quaerere verum,[69])

vix quisquam meo quidem iudicio sibi recte persuadeat, eum Theomnesto Academico aut Cratippo Peripatetico solis usum esse magistris; multo rectius docere mihi videntur, qui eum, etsi non diu Athenis commoratus sit, aliorum quoque philosophorum praecepta cognoscendi occasionem non dimisisse censent. Nec postero tempore

---

[58]) Ep. I. 8. 3 sqq. — [59]) Ep. I. 15. 1 sq. — [60]) Ep. I. 20. 27. — [61]) A. p. 175 sq. — [62]) Ep. II. 2. 211. — [63]) Ep. II. 2. 141. — [64]) Ep. I. 1. 10. — [65]) Ep. I. 1. 11. — [66]) Sat. I. 10. 11. — [67]) Sat. I. 10. 14 sq. — [68]) Sat. II. 7. 83 sqq. — [69]) Ep. II. 2. 41 sqq.

eum studium philosophiae deposuisse, facile probatur locis ad philosophiam spectantibus, qui, quanto magis a iocosa lyra,[70]) aetate progrediente desistebat, tanto crebriores in epistulis leguntur; dicit enim:

Nimirum sapere est abiectis utile nugis
Et tempestivum pueris concedere ludum,
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.[71])

Ex his ipsis verbis apparet, eum maxime ei philosophiae favisse, quae ad vitam bene beateque agendam pertinebat. Ut in adulescentia Athenas properavit, ut posset curvo dignoscere rectum, ita in Sabino suo cum amicis sermocinatur

non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Nepos saltet; sed, ait, quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est, agitamus, utrumne
Divitiis homines an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos;
Et quae sit natura boni summumque quid eius.[72])

Et alio loco dicit:

Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono;
Quid verum atque decens, curo et rogo et omnis in hoc sum.
Condo et compono, quae mox depromere possim.[73])

Nec sane desunt alii permulti loci, ex quibus idem patet, quos afferre longum est.

Quodsi quis quaesiverit, cuiusnam potissimum philosophi formulam secutus sit Horatius, cum hoc in more institutoque eius aetatis fuisse constet, ut, quisquis in doctis numerari se vellet, sectam quandam sequeretur, audiat et perpendat, quae poeta ipse dixit:

Nullius addictus iurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes;
Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles;
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor
Et mihi res, non me rebus subiungere conor.[74])

Neque alienum esse puto ab ingenio moribusque Horatii, eum nullius philosophi formulae ita favisse, ut eam per omnia sequeretur, cum acre eius libertatis studium

---

[70]) Carm. III. 3. 69. — [71]) Ep. II. 2. 141 sqq. — [72]) Sat. II. 6. 71 sqq. — [73]) Ep. I. 1. 10 sqq. — [74]) Ep. I. 1. 14 sqq.

perpetua vita perspecta sit; quod si nobis persuaserimus, minus mirabimur, quod saepius tam vehementer in Stoicos aeque atque in Epicureos est invectus.

Damasippum[75]) ridet loquacem superbiamque Stoicorum, qui omnes homines praeter se ipsos insanire dictitabant; simili modo Davum[76]) servum, eodem nimio, quo Damasippus usus est, studio praecepta Stoicorum tradentem repellit; nec minus Stoicos suae aetatis illudit: Fabium philosophum appellat loquacem,[77]) Stertinium, sapientum octavum,[78]) ludibrio habet, cum Damasippum salse inducit veri aliquid illum crepare[79]) dicentem eiusque acumen delirare[80]) existimat; Crispinus philosophus lippus[81]) appellatur, id quod non ad corporis solum, sed etiam ad animi oculos referendum esse videtur, praesertim cum alio loco ineptus[82]) dicatur eiusque mira facilitas magnam vim male tornatorum versuum effundendi sugilletur. Neque tamen Stoicorum disciplinae sectatores, qui viri vere egregii ei esse videbantur, admiratione afficere non dubitat; nam uti Panaetium, Scipionis Africani minoris familiarissimum, virum nobilem[83]) dicit, ita Catonem[84]) Uticensem honorificentissime appellat.

Sed ii quoque homines, qui Epicuri doctrina non satis recte intellecta vitam beatam in cute bene curanda[85]) et voluptatibus captandis consistere arbitrabantur neque levem infamiam illi vere egregio viro inferebant, aeque ac Stoici ludibrio habentur.

Inducitur, ut unum solum exemplum afferam, Catius[86]) quidam, qui, etsi se properare affirmat, ut nova praecepta, quae vincant Pythagoran Anytique reum doctumque Platona, paulo ante audita litteris mandet, tamen paulisper ut moraretur rogatus copiosissime gravissimeque de artis culinariae praeceptis disserit.

Nec vero desunt, qui contendant, Horatium adulescentem Epicuri disciplinam probasse, aetate vero provectiore secutum esse sectam Stoicorum; quam sententiam ut comprobem haud facile adducor.

Non multum tribui velim iis, quae ipse dixit:

Deos didici securum agere aevum,
Nec si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto caeli demittere tecto —[87])

non erat enim adeo imbutus vulgi superstitionibus, ut, quo erat peracri iudicio, omnibus rebus, quae pro miris venditabantur, haberet fidem — eosque, qui illa verba magni

---

[75]) Sat. II. 3. — [76]) Sat. II. 7. — [77]) Sat. I. 1. 14 sq. — [78]) Sat. II. 3. 296. — [79]) Sat. II. 3. 33. — [80]) Ep. I. 12. 20. — [81]) Sat. I. 1. 120. — [82]) Sat. I. 4. 14. — [83]) Carm. I. 29. 13 sq. — [84]) Carm. I. 12. 35 sq. Carm. II. 1. 24. — [85]) Ep. I. 4. 15. — [86]) Sat. II. 4. — [87]) Sat. I. 5. 101 sqq.

momenti esse existimantes numine divino res humanas regi administrarique eum negasse contendunt, admonitos esse volo, ut perpendant diligenter, quae in carminibus leguntur; dicit enim Horatius Iovem esse eum,

qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis;[88])

et alio loco magnifice celebrat eundem Iovem, cum dicit:

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et urbes regnaque tristia,
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo;[89])

nec pauci inveniuntur loci, ex quibus fortunam rei publicae sortesque singulorum hominum diis curae esse, deos pura mente esse venerandos et colendos, iram eorum, quibus rebus possit, esse placandam apparet.[90]) Qui loci non tenuis momenti mihi esse videntur, quod Horatium in carminibus magis serio quam in satiris, quid sensisset de diis, significasse crediderim; neque iis, quae dicit idem:

Parcus deorum cultor et infrequens
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus
Cogor relictos; namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum, —[91])

adeo moveor, ut, quod non paucis placuit, existimem, eum illa mira re ab neglegentia cultus deorum, quae nata esset ex insaniente sapientia Epicureorum, avocatum resipiisse. Videtur, id quod plerique interpretes volunt, id solum ostendisse, quanta mentis perturbatione eo tempore, quo portentum illud accidisset, affectus esset attonitus. Eum vero illo casu perculsum insanientem illam sapientiam non dimisisse in perpetuum satis plane intelligitur non solum ex epistula non ita multo post missa Numicio, in qua docet, non deesse, qui philosophos secuti rebus caelestibus quicquam divini aut miri inesse negantes

---

[88]) Carm. I. 12. 14 sqq. — [89]) Carm. III. 4. 45 sqq. — [90]) Carm. I. 9. 9 sqq.; I. 17. 13 sqq.; I. 22. 1 sqq.; II. 17. 27 sqq.; III. 2. 29 sqq ; III. 4. 25 sqq.; III. 6. 1 sqq.; III. 8. 6 sqq.; III. 23. 1 sqq.; III. 24. 33 sqq.; Epod. 7. 17 sqq.; cfr. hymnos in singulorum deorum honorem compositos: Carm. I. 10, I. 21 I. 30. I. 31. I. 35. II. 19. III. 11. III. 25. IV. 1. IV. 6. — [91]) Carm. I. 34. 1 sqq.

formidine nulla imbuti spectent hunc solem et stellas et certis momentis decedentia tempora,[92]) e quibus liberioris iudicii viris unum se ipsum haberi velle facili negotio conicias, sed etiam ex epistola Maecenati missa, in qua se modo agilem fieri et mersari civilibus undis, virtutis verae custodem rigidumque satellitem, modo in Aristippi furtim praecepta relabi[93]) profitetur.

Ex his, quae attulimus, satis patere arbitror, Horatium de diis eorumque natura non omni ex parte sensisse, quod Epicurum aut Stoicos. Ut enim vulgi imperiti superstitiones spernit neque tamen omnes sententias Epicuri comprobat, qui religionis vulgaris praecepta habebat prava et impugnabat: ita Stoicis, qui numine aliquo divino mundum regi administrarique docebant, assentitur quidem, sed, quam sententiam Chrisippus, Stoicorum somniorum vaferrimus interpres, tuebatur, vim divinam in ratione esse positam et universae naturae animo atque mente, ipsum mundum esse deum et eius animi fusionem universam,[94] eius nullam apud Horatium agnoveris significationem.

At Horatium idem fere quod Epicurum de origine generis humani et de societate hominum sensisse facere non possumus quin contendamus; dicit enim:

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere; dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges,
Ne quis fur esset neu latro neu quis adulter.[95])

Horatium his verbis enuntiasse, quae Epicurum docuisse recte dicitur, nemo est qui non videat; dicit enim, ius ex pacto et convento, quod homines suae quisque saluti suisque fortunis consulere voluisset, esse ortum, id quod paulo infra uberius explicat, cum dicit:

Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.[96])

Sine ullo labore intelligitur, quantopere a Stoicis, qui volunt τὸ δίκαιον φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει, dissentiat, cum dicat:

---

[92]) Ep. I. 6. 3 sqq. — [93]) Ep. I. 1. 6 sqq. — [94]) Cic. de nat. deor. I. 15. 39. — [95]) Sat. I. 3. 99 sqq. — [96]) Sat. I. 3. 111 sq.

Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis.[97])

Neque id ita difficile esse arbitror probare, Horatium in iis, quae ad vitae bene instituendae rationem spectant, magis Epicuri quam Stoicorum sectam esse secutum. Quod ut demonstretur exponatur necesse est, quid de bene beateque vivendi disciplina ille senserit. Persuaserat sibi, vitam beatam non positam esse in divitiis; pecuniam enim crescentem sequi curam maiorumque famem;[98]) non gazas, neque consularem lictorem summovere miseros tumultus mentis et curas circum laqueata tecta volantes;[99]) campestres Scythas, quorum plaustra vagas rite traherent domos, et rigidos Getas, quibus immetata iugera liberas fruges et Cererem ferrent, vivere melius quam eum, qui intactis thesauris Arabum et divitiis Indiae opulentior omne Tyrrhenum et Apulicum mare caementis occuparet; neque enim posse eum animum metu, neque caput mortis laqueis expedire;[100]) Timorem et Minas scandere eodem quo dominum, neque decedere Curam atram aerata triremi et post equitem sedere;[101]) non meliorem, neque liberiorem servo esse avarum, cum se demitteret ob assem in triviis fixum; nam qui cuperet, metuere quoque; qui metuens viveret, nunquam liberum esse posse; perdidisse arma, locum virtutis deseruisse, qui semper in augenda re festinaret et obrueretur;[102]) qui cuperet aut metueret, illum domum et rem sic iuvare, ut lippum pictas tabulas, fomenta podagram, citharas auriculas collecta sorde dolentes;[103]) divitias neque prudentem quemquam posse reddere, neque minus cupidum timidumque;[104]) collectam pecuniam imperare aut servire cuique, dignam potius sequi tortum funem quam ducere;[105]) multa petentibus deesse multa, bene esse, cui deus obtulisset parca, quod satis esset, manu;[106]) cui contigisset, quod esset, nihil amplius optare debere; non domum et fundum, non aeris acervum et auri aegroto corpore domini deducere febres, non animo curas; oportere possessorem valere, si comportatis rebus bene uti cogitaret.[107])

Neque fortunate beateque vivere censebat eos, quos Gloria constrictos traheret fulgente curru;[108])

---

[97]) Sat. I. 3. 114 sq. — [98]) Carm. III. 16. 17 sq. — [99]) Carm. II. 16. 9. sqq. — [100]) Carm. III. 24. 1. sqq. — [101]) Carm. III. 1. 37 sqq. — [102]) Ep. I. 16. 63 sqq. — [103]) Ep. I. 2. 51 sqq. — [104]) Ep. II. 2. 155 sqq. — [105]) Ep. I. 10. 47 sq. — [106]) Carm. III. 16. 42 sqq. — [107]) Ep. I. 2. 46 sqq. [108]) Sat. I. 6. 23 sq.

populum stultum honores saepe dare indignis et ineptum famae servire, stupentem in titulis et imaginibus;[109]) sapientis esse, contemnere honores;[110]) non vixisse male, qui natus moriensque fefellisset.[111])

Neque maiore felicitate uti existimabat eos, qui responsare cupidinibus[112]) non didicissent; eosque, qui in explendis libidinibus aut in edendo et bibendo beatam vitam positam esse arbitrabantur, persaepe idque acerbissime reprehendit; spernendas ait esse voluptates: nocere voluptatem dolore emptam.[113]) Neque tamen ea usus est severitate, ut omnes appetitus innatos et insitos opprimendos esse statueret; quod si factum esset, fore ut omnis animi aequitas, qua vita beata contineretur, e vita hominum tolleretur eum non fugiebat; dicit enim:

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam nimiumque severus
Assidet insano; potare et spargere flores
Incipiam patiarque vel inconsultus haberi;[114])

Atque quis nescit, quam saepe aequales et amici, ut vitae iucunditatibus laeti fruantur, commoneantur; monet enim:

Laetus in praesens animus quod ultra est
Oderit curare et amara lento
Temperet risu; nihil est ab omni
Parte beatum,[115])

illumque putat potentem sui laetumque degere, cui liceat in diem dicere se vixisse,[116]) et Bullatio est auctor, ut, quamcumque deus fortunaverit horam, grata sumat manu, neu dulcia differat in annum.[117])

Ideo medium tenere sapientis esse docebat inter avarum et nebulonem,[118]) inter miseram ambitionem[119]) et rerum humanarum contemptionem, inter vitam libidinosam et omnino temperantem, inter petulantiam in rebus secundis et desperationem in adversis; virtutem esse medium vitiorum et utrimque reductum[120]) monebat; esse modum in rebus, esse certos denique fines, quos ultra citraque non posset consistere rectum,[121]) immo insani sapientem nomen ferre, aequum iniqui, ultra quam satis esset virtutem si peteret ipsam.[122]) In aurea mediocritate[123]) docet

---

[109]) Sat. I. 6. 15 sqq. — [110]) Sat. II. 7. 85. — [111]) Ep. I. 17. 10. — [112]) Sat. II. 7. 85. — [113]) Ep. I. 2. 55. — [114]) Ep. I. 5. 12 sqq. — [115]) Carm. II. 16. 25 sqq.; praeterea Carm. I. 7. 15 sqq.; I. 9. 9 sqq.; I. 11. 6. sqq.; II. 3. 9 sqq.; II. 11. 3 sqq.; IV. 7. 7 sqq. — [116]) Carm. III. 29. 41 sqq. — [117]) Ep. I. 11. 23 sq. — [118]) Sat. I. 1. 104. — [119]) Sat. I. 6. 129. — [120]) Ep. I. 18. 9. — [121]) Sat. I. 1. 106 sq. — [122]) Ep. I. 6. 15 sq. — [123]) Carm. II. 10. 5.

consistere animi tranquillitatem vitamque beatam; quam mediocritatem qui tenere didicisset, eum exacto tempore contentum vita cessurum esse uti convivam saturum[124]) sibi persuaserat.

Hanc animi aequitatem vitamque beatam, qua se ipsum frui gloriatur Horatius quamque manentem futuram esse non desperat, cum dicit:

Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno, quae dedit, et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero,[125])

ut alii eodem modo, quo ipse sibi pepererit, comparent sibi, aeque graviter ac blande cohortatur neque, quo modo et qua re illa paretur, eos celat; suadet enim Lollio Maximo:

Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum:
Num te semper inops agitet vexetque cupido,
Num pavor et rerum mediocriter utilium spes,
Virtutem doctrina paret naturane donet,
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitae;[126])

et Maecenatem monet:

Fervet avaritia miseroque cupidine pectus:
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.[127])

Ad philosophiae igitur studium, vitae ducis, virtutis indagatricis, expultricis vitiorum,[128]) ut se conferant, ut intendant animum studiis et rebus honestis,[129]) cohortatur eos, qui vitae tranquillae et beatae desiderio tenentur; nam

---

[124]) Sat. I. 1. 18. — [125]) Carm. III. 29. 49 sqq. — [126]) Ep. I. 18. 96 sqq. — [127]) Ep. I. 1. 33 sqq. — [128]) Cic. Tusc. V. 2. 5. — [129]) Ep. I. 2. 36.

ratio et prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter aufert,
Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.[130])

Ex his, quae dixi, iam satis patere existimo, Horatium sibi persuasisse idem, quod Epicureos et Stoicos, vitam beatam positam esse in una tranquillitate animi, neque internis neque externis perturbationibus obnoxia. Ut docet:

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum,[131])

quibus verbis amicum suum cavere iubet, ne res externas, quae fluxae et caducae sint, aut admiretur aut expetat: ita homines responsare cupidinibus[132]) et animum regere eumque frenis et catenis compescere debere ostendit, quod is, nisi pareat, imperet.[133])

Sed cum Horatius eos, qui tranquillitate animi vitaque beata frui cupiant, id maxime agere iubeat, ut libertatem tueantur fortissime sibique res, non se rebus subiungere[134]) studeant, sine dubio sententiam sequitur Epicureorum, qui hominem quemquam ex ullo homine aut ulla re pendere vetabant, repugnatque Stoicis, qui, cum, quae in terris gignerentur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent,[135]) docerent, ut sua quisque studia neglegens legi societatis humanae se subiectum esse putaret poscebant; idemque, cum virtutem colendam esse doceat non tam, quod ea contineatur vita beata, quam quod maxima commoda capiantur ab ea virtutemque sequatur voluptas, id quod Epicurei statuebant: mirum quantum dissentit a Stoicis, qui virtutem sua ipsius causa docebant appetendam esse colendamque, non propter fructus, qui ex ea perciperentur.

Quae quamquam se ita habent, tamen Horatium unam solam Epicureorum disciplinam probasse haud facile quisquam contendat; nullo enim loco voluptatem summum bonum esse docebat neque unquam desistebat, quoscumque immodicis voluptatibus se dedere vidisset, impugnare, ut supra demonstravimus, neque haud paucae inveniuntur sententiae, quibus permagnam cum Stoicorum praeceptis esse similitudinem exploratum est. Neque tamen, quod eius modi sententiae in carminibus epistulisque, quae eum scripsisse constat aetate provectum, crebriores reperiuntur quam in satiris, adducor, ut comprobem sententiam eorum, qui eum aetate progrediente vitae institutis mutatis magis

---

[130]) Ep. I. 11. 25 sqq. — [131]) Ep. I. 6. 1 sq. — [132]) Sat. II. 7. 85. — [133]) Ep. I. 2. 62 sq. — [134]) Ep. I. 1. 19. — [135]) Cic. de off. I. 7. 22.

ad Stoicorum disciplinam delapsum esse contendunt. Quid autem sit, cur Horatio, cum ipse plane profiteatur, se — erat autem iam maior quadraginta annos natus — versibus et ludicris positis quid verum atque decens sit curantem et rogantem, quocumque rapiatur tempestate, deferri hospitem, nunc se agilem fieri et mersari civilibus undis, virtutis verae custodem rigidumque satellitem, nunc in Aristippi furtim praecepta relabi,[136]) fides derogetur, nullo prorsus modo dispicio.

Verissime igitur mihi videntur iudicare ii, qui statuunt, Horatium nulli unquam philosophorum se ita addixisse, ut eum per omnia sequeretur, sed eum, ut verae numerosque modosque edisceret vitae,[137]) quidquid in Epicureorum Stoicorumque disciplinis probasset, condidisse et composuisse, ut suo tempore depromere posset,[138]) eumque per omnem vitam Epicureorum disciplinam magis esse secutum quam Stoicorum.

Postquam vero de natura satirarum et epistularum Horatianarum dixi, et quomodo in iis conscribendis versatus sit poeta, rem haud sane difficilem existimo esse iudicare, utro in genere crebriores inveniantur sententiae. Non defuerunt, qui Horatium in sententiis intexendis nimium fuisse contenderent idque ei vitio vertere non dubitarent. Caveant vero illi, ne, quidquid a nostrae aetatis subtiliore sentiendi dicendique ratione plus minusve discrepet, in vitiis ponant. Veteres poetae et Latini et Graeci non tantum, quantum poetae recentioris aetatis, a communis vitae rationibus recesserunt neque ardore animi quasi abrepti ad summa ita contenderunt, ut illum prudentia et moderatione non temperarent. Cesserint utique multum qui Horatii aetate erant Romani strenuis probisque suis maioribus virtute, id tamen etiam tum proprium erat eorum, ut ad res gerendas imprimis intenti ea potissimum curarent, quibus vitae usus in omnes partes conformari posset. Neque ideo mirum est, quod Horatius ipse huius rei rationem habendam esse existimavit cum in carminibus, tum praecipue in satiris et epistulis. Itaque cum in satiris id ageret, ut, quidquid stultitiae et perversitatis morum in aequalibus deprehendisset, id rideret et castigaret: id, quod dicebat, non uni soli dictum esse voluit, sed omnibus et ita quidem, ut quicumque vitiis, quae notaret, contaminati esse sibi viderentur, resipiscerent et ad meliorem frugem se reciperent, ii vero, qui se sanos esse confiderent, ut honestae vitae viam persequerentur; et cum in epistulis, quomodo ad rationis normam vita dirigenda esset, ostenderet et, quid

---

[136]) Ep. I. 1. 10—18. — [137]) Ep. II. 2. 144. — [138]) Ep. I. 1. 12.

de artium litterarumque studio iudicandum esset, praeciperet: non solum eos, cum quibus et de quibus loquebatur, quid ipse sentiret docebat, sed etiam se communi omnium civium saluti prospicere omniumque mentes meliore intellegentia imbuendi studio se duci haud obscure significavit.

Neque temere, sed prudentissime fecit Horatius, quod verbis suis, quibus obiurgabat peccantes et docebat errantes, admiscebat sententias, quibus, quomodo vita ad rationis normam dirigenda esset, quomodo mores emendandi, mentes conformandae essent praecipiebat; effecit enim hac ratione, ut ea, quae doceret, non ad homines singulos, sed ad universos pertinere viderentur atque multo maius pondus haberent.

Quae sententiae, sive ipse commentus est eas, sive aliunde sumpsit et arcessivit, non minus graves sunt quam festivae et venustae. Eas autem in epistulis crebriores inveniri quam in satiris nemo non videt, qui utrumque poematum genus paulo diligentius inspexit. Cuius rei non desunt rationes, ex quibus, quae afferantur, hae potissimum dignae esse videntur.

